



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput VI. Magiae notio, & signa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



CAPUT VI.

Magiæ notio, & signa.

Magia est facultas ea, quæ naturæ vires superant, patranti, ope dæmonis, qui per magos operatur, iis fingens obtemperare, ut eos fallat, sibi que subjiciat. Diabolica hæc ars oritur ex prava curiositate, quæ homini lapio est naturalis, illumque ad extraordinaria experienda, & ad aliis incognita scrutanda impellit: quod scientiam quodammodo amulatur, quam a Deo in creatione homo acceperat. Deo hæc ars directe opponitur: dæmoni siquidem honorem soli Deo debitum tribuit, & dæmonis ope id scire & facere satagit, quod Deo opitulante fieri solum potest. Maxima severitate in lege veteri Magia prohibebatur. In Levitico legitur: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid suscipietis, ut polluanini per eos (cap. 19.)*; in Exodo vero: *Maleficos non patieris vivere (cap. 22.)*. Hæc prohibitio, qua dæmonis adoratio quælibet & invocatio vetatur, ad naturalem legem non minus, quam ad scriptam, & evangelicam pertinet. Populi omnes magos sunt detestati; & a Romanis vetita fuit magia, qui hujusce artis libros, quos in sepulchro suo Rex Numa claudi jusserat, ne ederentur, combusserunt.

Natu-

peccatum reservatum esse judicet ubi nullum est, aut econtra. Rarius hanc reservationem simplices mulierculæ, aut rustici; frequentius versuti decoctores, & circumforanei &c. incurrunt.



Naturalis hujusce prohibitionis causa est, quia dæmon acerrimus est Dei hostis, qui, si fieri posset, Deum vellet destruere, ut honorem illi debitum sibi usurparet, & ipse in orbe dominaretur. Naturæ lex docet, non licere subditis cum Regis hostibus fædus inire: Dei autem hostes sunt dæmones, quorum odium iuramus, dum magiam exercemus, sive expresse id fiat, sive implicite: *expresse* id fit, quando cum dæmone ipso, vel cum ejus ministro pascimur; *implicite*, cum verbum aliquod profertur, aut aliqua fit actio, quibus operari dæmon solet. In extrema aliquis necessitate posset celatam sibi ab hoste Principis opem accipere, quin propterea esset proditor. At non idem de dæmone est statuendum: hominum universalis & supremus Rex est Deus, omniumque Dominus, quæ intra se vel extra homines habent, vel opera exercent; cumque nil a dæmone nisi Deo permittente possint homines accipere, quicquid ab ipso accipiant, eorum plerumque salutem obest. Quamobrem frustra a dæmone quaeritur, quod a solo Deo est expectandum.

Non semper expressa est dæmonis invocatio, interdum est *tacita*. Id autem evenit *primo*, quando verba proferuntur, quæ non expresse propositum effectum significant: *secundo*, quando figuræ fiunt, veluti circuli, quadranguli, &c. *tertio*, quando verbis falsa & apocrypha miscentur: *quarto*, cum inutiles ad propositum conditiones usurpantur, veluti in tali charactere scribere, vel adhibere herbam, quæ tali die sic



collecta; quæ quidem a pluribus fiunt, quin  
dæmonis ope uti intendant: *quinto*, cum effe-  
ctus media, quibus utimur, superant, veluti  
si philtris, aut amatoriiis potionibus utamur, ut  
quempiam ad amandum vel odiendum excitemus.  
Omnis hujusmodi invocatio est magia quædam;  
ac proinde mortale est peccatum, cum ea utens  
dubitare merito potest, ne dæmonis ope sequa-  
tur effectus, nec tamen invocationem omit-  
tit (a).

Non

(a) Magorum potestatem, & sagarum artes pleri-  
que nostri ævi Doctores tamquam inania phan-  
tasiæ deliramenta rident, eaque omnia, de qui-  
bus sagæ se jactant, nonnisi in imaginaria illu-  
sione consistere asserunt; propter malam tamen  
nocendi voluntatem, aliaque adnexa vitia ejus-  
modi homines pœnis tam canonicis, quam civi-  
libus omnino subjiciendos esse, uno ore omnes  
fatentur. Quodsi tale monstrum ad confessionale  
venerit, caute cum eo procedere Confessarius  
debet, sitque sincera, anve ficta confessio ex  
circumstantiis advertere. Tum de inito cum  
dæmone pacto inquirat, illius dissolutionem, &  
ejurationem petat; sublatis omnibus pacti signis;  
non tamen (prout recte P. Schram monet) est  
necessè, ut pœnitens illud, quo fors se obligavit,  
chirographum a dæmone repetat, & impetret.  
Examen postmodum circa ea, quæ magiam  
comitari solent, vitia instituatur, fiatque quæ-  
stio 1. de hæresi, & apostasia a fide, 2. de  
blasphemiis contra Deum, Christum &c. 3. de  
sacrilegæ S. Eucharistiæ abusu, 4. de supersti-  
tioso cultu dæmoni exhibito, 5. de nefanda  
luxuria, 6. de damnis proximo illatis aut saltem  
intentatis, 6. de seductione & scandalo. Hisce per-



Non sunt magicæ arti adscribendi quidam effectus pure naturales, licet rari. Habet natura arcana quædam mysteria: quod si plantarum & mineralium vim, astrorumque cursum, aspectus, & influentias probe noverimus, profecto mira plura patrarem, qualia Philosophi quædam patrarunt, qui Magi sunt habiti: hoc nomine plerique docti viri ab indocto vulgo secularis nequioribus sunt appellati. Verum a miris hisce rarisque procurandis effectibus prudenter est temperandum, ni ex his aliqua Dei gloria, aut proximi utilitas expectetur. In his curiositas plerumque & vanitas adest, quæ duo verum Christianum sectari dedecet.

## C A P U T VII.

*Maleficii descriptio & divisio.*

**M**aleficium sic definitur, ars nocendi aliis opem dæmonis. Dupliciter dividitur; aliud enim est maleficium amatorium, aliud veneficium. *Amatorium*, ad amandum excitat, mentem turbans,

peractis Confessarius, præsertim juvenis, spiritualia interim remedia videlicet magnam in Deum fiduciam, sanctissimorum Nominum invocationem, sanctæ Crucis venerationem, sacramentorum frequentationem &c. pœnitenti suadeat, absolutionem, quantum circumstantiæ permittunt, nonnihil differat, & circa specialia quædam virum doctum, pium, aut veteranum Confessarium consulat, ejusque prudens consilium subsequatur, sicque aut veri pœnitentis promovenda salutem, aut astuti impostoris dolos, & veritates eludet.